



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Duellantium talio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Exemplo scurra, conceptum fistula plumbum,

Indignata nefas, expuit in faciem.

Cur tetigit nasum, quem funditus abstulit illi?

Nasutus nimium Zuvickius antè fuit.

Hæc talia militibus diligenter sunt inculcanda, quibus iocuse est, in Diuos dicta iacere; quos qui contemnit, in cælo non videbit. Neque putent verba sua dumtaxat ad aures Iudicis venire; vulnera autem ignorari. Omnes ictus iniquos & spectat, & numerat diuinus oculus, & verò etiam, in tempore compensat. Memini virum fide dignum, in Principis mensa narrasse, Anno Christi 1633. Eluaci, se præsentè, in festo S. Thomæ Apostoli, super mensam, dum alij alia glorianter jactarent, Capitaneum quemdam Suedicum, cum sarcasmo professum esse, *se octo animas habere in conscientia sua, à se occisorum.* Permissus est hoc dicere; vt constaret de iudicio Dei, quo, eo adhuc ipso die, ipse quoque cultro interfectus est; vtque à singulis eum animabus accusatum constaret, octo lethalia vulnera accepit. Hoc postquam ita vt dixi, relatum est, subiunxit alter, Parisijs aliquando duellatorem captum, atque ad gladium damnatum, cum decem validissimos ictus ceruice excerpisset, & carnifex obstupescens exclamasset: Mirum, me, qui tot vno ictu expediui, hunc vnum non posse capite plectere, tot plagis sancium vicissim exclamasse: Duo adhuc ictus à te mihi inferendi sunt, quia ego duodecim duellis, duodecim homines interemi. Quod & factum. Ne putate, ô milites, eum qui vno delicto vel huius, vel alterius vitæ mortem committit, de cetero impunè peccaturum. Omnia peccata exactissimè numerantur. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quod si autem militi vnus hominis iniusta mors, vel complura duella ad mensuram computantur; quid illi erit expectandum, qui, per iniustum bellum, tot mortalium millia in exitium trahit? nec iam homines, sed ciuitates integras, integras prouincias, integra regna & imperia mutilat, affligit, extinguit? Sed quantum sit malum, aut cur hoc tantum belli malum iustissimus Deus permittat, propriam exigit disputationem.

VIII.

Matth. 7. 2.
Marc. 4. 24.
Luc. 6. 38.